

DOCTRINA
NOVÆ HIEROSOLYMÆ

DE

FIDE.



AMSTELODAMI:

MDCCLXIII.

> This Page Blank in Original Latin <

DOCTRINA
NOVÆ HIEROSOLYMÆ
DE
FIDE.

AMSTELODAMI:

MDCCLXIII.

English Name:

Doctrine of New Jerusalem Concerning Faith;
[BY EMANUEL SWEDENBORG]

Amsterdam:
1763

Original Language: Neo Latin


This Facsimile of the Original Latin Edition
is available for FREE use by anyone, as a
courtesy of

The Lord's New Church Which Is Nova Hierosolyma.
www.TheLordsNewChurch.com

First Edition Latin photos can also be viewed
online by visiting the website of

The Bayside Swedenborgian Church
www.BaysideChurch.org

We gratefully acknowledge the work of
The Swedenborg Institute in Basel, Switzerland,
which made this Swedenborg eBook possible.




DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ

D E

F I D E.



Quod Fides sit Agnitio interna veri.

I. er Fidem hodie non aliud intelligitur, quam Cogitatio quod ita sit quia Ecclesia docet, & quia non patet coram intellectu; dicitur enim, crede & non dubita; si responderetur, hoc non comprehendo, dicitur quod ideo credendum sit; quare hodierna fides est fides ignoti, & vocari potest fides cæca: & quia est dictamen alterius in altero, est fides historica. Quod hæc non fides spiritualis sit, videbitur in sequentibus.

2. Ipsa fides non aliud est, quam agnitio quod ita sit, quia est verum; ita enim cogitat & loquitur qui in ipsa fide est, hoc verum est ideo credo, fides enim est veri, & verum est fidei: is etiam, si non comprehendit quod verum sit, dicit, non scio num verum sit, ideo nondum credo; quomodo credam quod non comprehendo, forte potest falsum esse.

3. Sed communis sermo est, quod non aliquis possit comprehendere spiritualia seu theologica, quia sunt supernaturalia: sed vera spiritualia æque comprehendi possunt, quemadmodum vera naturalia; & si non clare, usque dum audiuntur, cadunt in perceptionem num vera sint vel non, hoc maxime apud illos qui afficiuntur veris. Hoc datum est mihi scire ex multa experientia: datum est loqui cum ignaris, cum obscuris, cum stupidis, & quoque cum

4 DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ

illis qui in falsis fuerunt, & qui in malis, qui intra Ecclesiam nati sunt, & audiverunt aliquid de Domino, de fide & charitate, & loqui datum est cum illis arcana sapientiæ, & illi comprehenderunt omnia, & agnoverunt: sed erant tunc in luce intellectus quæ est cuivis homini, & simul in gloria quod essent intelligentes. Sed hæc in commercio cum spiritibus. Ex his convicti sunt plures mecum, quod spiritualia æque ac naturalia possint comprehendi, sed tunc quando audiuntur aut leguntur, sed ægre ab ipso homine cum ex se cogitat. Causa, quod spiritualia comprehendantur, est quia homo quoad intellectum potest elevari in lucem Cæli, in qua luce non alia apparent quam spiritualia, quæ sunt vera fidei: Lux enim Cæli est lux spiritualis.

4. Inde nunc est, quod agnitio interna veri sit illis, qui in spirituali affectione veri sunt. Quia Angeli in illa affectione sunt, prorsus respuunt illud dogma, quod intellectus erit sub obedientia fidei; dicunt enim, quid est credere & non videre num verum sit; & si aliquis dicit, quod usque credendum sit, respondent, num putas te Deum esse cui credam, aut me infanum quod credam dicto in quo non video verum, fac itaque ut videam: ita dogmaticus ille recedit. Sapientia Angelica in eo unice consistit, ut videant & comprehendant quæ cogitant.

5. Est idea spiritualis, de qua pauci aliquid morunt, quæ influit apud illos qui in affectione veri sunt, & interius dictat, quod hoc, quod auditur aut legitur, verum sit vel non: in hac idea sunt illi, qui in illustratione a Domino legunt Verbum: in illustratione esse non aliud est, quam in perceptione esse, & inde in agnitione interna, quod hoc & illud verum sit; hi sunt qui vocantur docti a Jehovah, Esaj LIV. 13. Joh. VI 45: & de quibus dicitur apud JEREMIAM, *Ecce dies venientes, quibus pangam novum fœdus; fœdus hoc erit; dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam illam: & non docebunt vir amplius socium suum, aut vir fratrem suum, dicendo cognoscite Jehovah, omnes enim cognoscent Me,* XXXI. 31. 33. 34.

6. Ex his patet, quod fides & veritas unum sint: quare etiam Antiqui, qui ex affectione in cogitatione de veris præ nostratibus fuerunt, loco fidei dixerunt veritatem: inde quoque est, quod in Hebræa lingua veritas & fides una vox sint, quæ vocatur Amuna seu Amen.

7. Quod Fides dicatur a Domino apud Evangelistas & in Apocalypsi, erat quia Judæi non crediderunt verum esse, quod Dominus esset Messias a Prophetis prædictus, & ubi veritas non creditur, ibi fides dicitur. At usque aliud est fidem habere & credere in Dominum, & aliud fidem habere & credere alicui: de differentia dicetur infra.

8. Fides separata a veritate intravit & invasit Ecclesiam cum Dominio papali, quoniam præcipuum tutamen Religionis istius fuit ignorantia veri; quare lectio Verbi etiam vetabatur: alioquin non potuissent coli ut Numina, ac Sancti eorum invocari, ac in tantum introduci idololatriæ, ut cadavera, ossa & sepulchra illorum sancta crederentur, & inde lucrarentur. Ex quo patet, quam enormes falsitates fides cæca potest producere.

9. Fides cæca etiam permansit postea apud plures Reformatos, ex causa quia

quia separaverunt fidem a charitate, & qui separant illas non possunt non in ignorantia veri esse, & cogitationem quod ita sit separatam ab agnitione inter-
nu quod ita sit, nominare fidem: apud hos ignorantia est tutamen dogmatum; nam quamdiu ignorantia regnat, & persuasio quod Theologica transcendat, possunt loqui & non contradici, & credi quod vera sint, & quod ii intelligant illa.

10. Dixit Dominus ad Thomam, *Quia vidisti Me, Thoma, credidisti; beati qui non vident, & credunt*, Joh. XX. 29; per quod non intelligitur fides ab interna agnitione veri separata, sed quod beati sint qui non oculis vident Dominum, sicut Thomas, & usque credunt quod Ipse sit; hoc enim in luce veritatis est ex Verbo.

11. Quia agnitio interna veri est fides, & quia fides & veritas unum sunt, ut supra n. 2. 4. 5. 6, dictum est, sequitur quod agnitio externa absque interna non sit fides, nec quod persuasio falsi sit fides. Agnitio externa absque interna est fides ignoti, & fides ignoti est solum scientia, quæ memoriæ est, quæ si confirmatur fit persuasio; & qui in illis sunt, cogitant quod verum sit, quia alius ita dixit, vel cogitant quod verum sit ex confirmato, & tamen falsum æque confirmari potest quam verum, & quandoque fortius. Per cogitare quod verum sit ex confirmato, intelligitur cogitare illud verum esse quod ab alio dicitur, & illud non prius explorare, sed modo confirmare.

12. Si quis cogitat secum, aut dicit alteri, quis potest habere agnitionem internam veri quæ fides, ego non possum: sed illi dicam, quomodo possit: fuge mala ut peccata, & adi Dominum, & habebis quantum desideras. Quod ille qui fugit mala ut peccata in Domino sit, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIERSOLYMA, n. 18 ad 31; quod ille amet verum, & videat illud, n. 32 ad 41 ibi: & quod ille fidem habeat, n. 42 ad 52 ibi.

Quod agnitio interna veri, quæ fides, non datur apud alios quam qui in charitate sunt.

13. **S**upra dictum est quid Fides, hic dicetur quid Charitas. Charitas in sua prima origine est affectio boni, & quia bonum amat verum, producit illa affectionem veri, per hanc agnitionem veri, quæ est fides; per has in sua serie Affectio veri existit & fit Charitas. Hæc est progressio Charitatis a sua origine, quæ est affectio boni, per fidem quæ est agnitio veri, ad finem suum qui est Charitas, finis est actus. Ex his patet, quomodo amor, qui est affectio boni, producit fidem, quæ est idem cum agnitione veri, & per hanc producit charitatem, quæ est idem cum actu amoris per fidem.

14. Sed clarius: Bonum non aliud est quam Usus; quare Charitas in sua prima origine est affectio usus, & quia usus amat media, producit illa affectionem mediorum, ex qua cognitio illorum; & per has in sua serie affectio usus existit & fit Charitas.

15. Progressio illorum est, quemadmodum est progressio omnium Voluntas

tis per Intellectum in actus in corpore: Voluntas nihil producit ex se absque Intellectu, nec Intellectus aliquid ex se absque Voluntate; agent in conjunctione ut aliquid existat. Seu quod idem; Affectio quæ est voluntatis, nihil producit ex se nisi per Cogitationem quæ est intellectus, nec vicissim; agent in conjunctione ut aliquid existat. Expende, si a cogitatione removeas affectionem, quæ est alicujus amoris, num potes cogitare, aut si ab affectione removeas cogitationem, num potes affici aliqua re: aut, quod simile, si a cogitatione removeas affectionem, num poteris loqui; vel si ab affectione removeas cogitationem seu intellectum, num poteris agere aliquid. Simile est cum Charitate & Fide.

16. Illustrari hæc possunt per comparisonem cum arbore: Arbor in sua prima origine est semen, in quo est conatus producendi fructum, hic conatus excitatus a calore primum producit radicem, & ex illa virgam seu caulem cum ramis & foliis, & demum fructus, & sic conatus fructificandi existit: ex quibus patet, quod conatus producendi fructus sit perpetuus in omni progressionem, usque dum existit, nam si ille desineret, facultas vegetandi illico moreretur. Applicatio hæc est: Arbor est Homo; Conatus producendi media est apud hominem a Voluntate in Intellectu, Virga seu Caulis cum ramis & foliis, sunt apud hominem media per quæ, & vocantur vera fidei, Fructus qui sunt ultimi effectus conatus fructificandi in arbore, sunt apud hominem Usus, in his Voluntas existit. Ex his potest videri, quod Voluntas producendi usus medio intellectu sit perpetua in omni progressionem, usque dum existit. De Voluntate & de Intellectu, & de Conjunctione illorum, videatur in DOCTRINA VITÆ pro NOVA HIEROSOLYMA, n. 43.

17. Ex nunc dictis patet, quod Charitas, quatenus est affectio boni seu usus, producat Fidem, ut Medium, per quam existat: consequenter, quod Charitas & Fides, in operando usus conjunctim agant. Tum quod Fides non producat bonum seu usum ex se, sed ex charitate, Fides enim est Charitas media: fallacia itaque est, quod fides producat bonum sicut arbor fructum, arbor non est fides, sed arbor est homo.

18. Sciendum est, quod Charitas & Fides faciant unum, sicut Voluntas & Intellectus, quoniam charitas est voluntatis & fides est intellectus. Similiter, quod Charitas & Fides faciant unum, sicut affectio & cogitatio, quoniam affectio est voluntatis, & cogitatio est intellectus. Similiter, quod Charitas & Fides faciant unum, sicut Bonum & Verum, quia bonum est affectionis quæ voluntatis, & verum est cogitationis quæ intellectus.

Verbo, Charitas & Fides faciunt unum, sicut Essentia & Forma, quoniam essentia fidei est charitas, & forma charitatis est fides: ex quibus patet, quod fides absque Charitate sit sicut forma absque essentia, quæ non est aliquid; & quod charitas absque fide, sit sicut essentia absque forma, quæ nec est aliquid.

19. Charitas & Fides apud hominem prorsus se habent, sicut Motus cordis qui vocatur systole & diastole, & Motus pulmonis qui vocatur respiratio: est quoque illorum plenaria correspondentia cum voluntate & intellectu hominis, ita cum Charitate & Fide: quare etiam voluntas & ejus affectio intelligitur per
Cor

Cor in Verbo, ac intellectus & ejus cogitatio per Animam in Verbo, & quoque per Spiritum; ideo emittere animam est non amplius animare, ex emittere spiritum est non amplius respirare. Ex quibus sequitur, quod non dari queat fides absque charitate, nec charitas absque fide, & quod fides absque charitate, sit sicut Respiratio pulmonaris absque corde, quæ non dari potest in aliquo vivo, sed solum in avtomato, & quod charitas absque fide sit sicut cor absque pulmone, ex quo non aliquod vivum sentitur: consequenter, quod Charitas per Fidem operetur usus, sicut Cor per Pulmonem actus. Tanta similitudo intercedit inter Cor & Charitatem, ac inter Pulmonem & Fidem, ut in Mundo spirituali quisque noscatur ex sola Respiratione, qualis ei fides est, & ex Pulsu cordis qualis ei charitas est: angeli enim & spiritus æque ac homines vivunt corde & respiratione; inde est quod illi similiter ac homines in mundo sentiant, cogitent, agant & loquantur.

20. Quia Charitas est amor erga proximum, dicitur etiam quid proximus. Proximus in naturali sensu est homo in composito & in individuo: Homo in composito est Ecclesia, Patria, & Societas; & homo in individuo est concivis, qui in Verbo vocatur frater & socius. At Proximus in spirituali sensu est bonum, & quia usus est bonum, est proximus in spirituali sensu usus. Quod usus sit spiritualis proximus, quisque agnoscet; quis enim amat hominem solum ut personam, sed amat illum ex eo quod in illo est, ex quo est talis, ita ex quali ejus, hoc namque est homo: hoc quale, quod amatur, est usus, & vocatur bonum; inde est hoc Proximus. Quia Verbum in sinu suo est spirituale, ideo illud est amare proximum in spirituali ejus sensu.

21. Sed aliud est amare proximum ex bono aut usu in illo erga se, & aliud est amare proximum ex bono aut usu in se erga illum; amare proximum ex bono aut usu in illo erga se, potest etiam malus, sed amare proximum ex bono aut usu in se erga illum, non potest nisi bonus, nam hic ex bono amat bonum, seu ex affectione usus amat usum: horum & illorum discrimen describitur a Domino apud Matthæum Cap. V: 32. 33. seq. A multis dicitur, amo illum quia me amat & bonum mihi facit, sed usque amare illum propterea solum, non est interius amare illum, nisi ipse in bono sit, & ex illo amet bonum ejus; hic in charitate est, ille autem in amicitia est, quæ non est charitas. Is qui ex charitate amat proximum, conjungit se cum bono ejus, & non cum persona, nisi quantum & quamdiu in bono est, hic spiritualis est, & spiritualiter amat proximum; at qui ex sola amicitia amat alterum, is conjungit se cum persona, & simul tunc cum ejus malo; hic post mortem a persona, quæ in malo est, ægre separari potest, alter autem potest. Charitas hoc facit per fidem, quia fides est veritas, & homo qui in charitate est per veritatem, scrutatur & videt, quid amandum est, & spectat quale usus in amando & benefaciendo.

22. Amor in Dominum est proprie amor, & amor erga proximum est charitas: non datur apud hominem amor in Dominum, nisi in charitate, in hac Dominus se conjungit cum homine. Quia fides in sua essentia est charitas, sequitur quod nemo possit habere fidem in Dominum nisi in charitate sit, ex
hac

8 DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ

hac per fidem est conjunctio, per charitatem conjunctio Domini cum homine, & per fidem conjunctio hominis cum Domino: quod conjunctio reciproca sit, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA n. 102 ad 107.

23. In summa, quantum quis fugit mala ut peccata, & spectat ad Dominum, tantum in charitate est, proinde tantum in fide est. Quod quantum quis fugit mala ut peccata & spectat ad Dominum, tantum in charitate sit, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA n. 67 ad 73; tum n. 74 ad 91; & quod tantum fidem habeat, n. 52 ad 52. quid charitas in proprio sensu, n. 114 ibi.

24. Ex omnibus quæ hætenus dicta sunt, constare potest, quod fides salutifera, quæ est agnitio interna veri, non dari queat apud alios, quam qui in Charitate sunt.

Quod Cognitiones veri & boni non sint Fidei,
antequam homo in Charitate est, sed quod
sint Promptuarium, ex quo Fides Charitatis
formari potest.

25. **E**st homini affectio sciendi ex prima pueritia, per hanc discit plura, quæ illi usui erunt, & plura quæ non usui: cum adolefcit, ex applicatione ad quoddam negotium, haurit illa quæ rei negotii sunt; hoc fit ei tunc usus, quo afficitur: sic inchoat affectio usus, quæ producit affectionem mediorum, per quæ venit ad negotium suum, quod ejus usus est. Hæc progressio est apud unumquemvis in mundo, quia unicuique est aliquod negotium, ad quod ab usu qui est finis per media ad ipsum usum qui est effectus, procedit. Verum quia hic usus cum mediis ejus est pro vita in mundo, est ejus affectio naturalis.

26. Sed quia omnis homo non modo spectat usus pro vita in mundo, sed etiam spectabit usus pro vita in Cælo, in hanc enim post vitam in mundo veniet, & in hac post illam vivet in æternum: ideo quisque a pueritia comparat sibi cognitiones veri & boni ex Verbo, aut ex doctrina Ecclesiæ, aut ex prædicatione, quæ pro illa vita erunt, & reponit illas in memoria naturali, in majore aut minore copia secundum affectionem sciendi conatam, & per varia excitamenta auctam.

27. Sed omnes hæ cognitiones, quotcunque & qualescunque sunt, modo sunt promptuarium ex quo fides charitatis formari potest; & hæc fides non formatur, nisi quantum fugit mala ut peccata. Si fugit mala ut peccata, tunc cognitiones illæ fiunt fidei, cui vita spiritualis inest: si autem non fugit mala ut peccata, cognitiones illæ non sunt nisi quam cognitiones, & non fiunt fidei cui aliqua vita spiritualis inest.

28. Hoc Promptuarium maxime necessarium est, quoniam absque illo non formatur.

mari potest fides; cognitiones enim veri & boni fidem intrant & faciunt illam; si nullæ sint, fides non existit, fides prorsus vacua & inanis non datur; si paucæ sint, fides fit pusilla & egena; si multa sint, fides fit locuples & plena secundum copiam.

29. At sciendum est, quod cognitiones genuini veri & boni faciant fidem, & prorsus non cognitiones falsi, fides enim est veritas, ut supra n. 5 ad 11, dictum est, ac falsitas, quia est opposita veritati, destruit fidem; nec potest charitas existere, ubi meræ falsitates sunt, nam, ut supra n. 18 dictum est, charitas & fides unum faciunt sicut bonum & verum faciunt unum. Ex his quoque sequitur, quod nullæ cognitiones genuini veri & boni nullam fidem faciant, quod paucæ aliquam fidem, & quod multæ fidem illustrem secundum plenitudinem. Qualis est homini fides ex charitate, talis est ei intelligentia.

30. Dantur etiam multi, qui non agnitionem internam veri habent, & tamen fidem charitatis, qui sunt qui in vita spectaverunt ad Dominum, & ex religione evitaverunt mala, sed a curis in mundo & negotiis detenti a cogitando de veris, & quoque a defectu veri apud docentes; sed illi usque interius seu in suo spiritu in agnitione veri, quia in affectione ejus, sunt, quare illi post mortem, dum fiunt spiritus, & instruuntur per Angelos, agnoscunt vera & cum gaudio recipiunt illa. Aliter vero illi, qui in vita non spectaverunt ad Dominum, & non ex religione evitaverunt mala, hi non interius seu in suo spiritu in aliqua affectione veri & inde nec in aliqua agnitione ejus sunt, quare ii post mortem, cum fiunt spiritus, & instruuntur per Angelos, non volunt agnoscere vera, & inde non recipiunt illa: malum vitæ enim interius odit vera; at bonum vitæ interius amat vera,

31. Cognitiones veri & boni, quæ præcedunt fidem, apparent quibusdam quod fidei sint, sed usque non sunt; quod opinentur & dicant se credere, non ideo credunt, & nec illæ sunt fidei, sunt enim solius cogitationis quod ita sit, sed non sunt agnitionis internæ, quod veritates sint; ac fides quod veritates sint, dum nescitur quod sint, est species persuasionis remotæ ab agnitione interna: ut primum autem charitas implantatur, tunc cognitiones illæ fiunt fidei, sed non plus quam charitas in illa est. In Primo statu, antequam Charitas percipitur, apparet illis fides sicut primo loco sit, & charitas secundo; sed in altero statu, cum charitas percipitur, fit fides secundo loco, & charitas primo: Primus status vocatur Reformatio, Alter status vocatur Regeneratio: cum homo in hoc statu est, tunc apud illum indies crescit sapientia, ac indies bonum multiplicat vera, & fructificat illa: est homo tunc sicut Arbor, quæ fructum fert, & in fructu ponit semina, ex quibus novæ arbores, & tandem hortus: fit tunc vere homo, & post mortem angelus, cujus vitam facit charitas, & fides formam, pulchram secundum quale ejus; at fides tunc non amplius vocatur fides, sed intelligentia. Ex his constare potest, quod omne fidei sit ex charitate, & nihil ejus ex se; tum etiam quod charitas producat fidem, & non fides charitatem: sunt cognitiones veri quæ præcedunt, prorsus sicut penurium in horreo, quod non nutrit hominem, nisi appetens victum inde frumentum desumit.

32. Dicitur etiam, quomodo formatur fides ex charitate: cuius homini est Mens naturalis & Mens spiritualis, Mens naturalis pro mundo, & Mens spiritualis pro cælo; homo quoad Intellectum est in utroque, non autem quoad Voluntatem, priusquam fugit & averfatur mala ut peccata; cum hoc facit, tunc aperitur Mens spiritualis etiam pro voluntate; qua aperta, influit inde in Mentem naturalem calor spiritualis e Cælo, qui calor in sua essentia est charitas, ac vivificat cognitiones veri & boni quæ ibi sunt, & ex illis format fidem: fit etiam hoc sicut cum arbore, quæ non vitam vegetativam accipit, prius quam calor e sole influit, & conjungit se cum luce, ut fit tempore veris. Plenus etiam paralelismus est inter vivificationem hominis & vegetationem arboris, in eo, quod hanc faciat calor mundi, & illam calor cæli: quare etiam homo toties assimilatur arbori a Domino.

33. Ex his paucis constare potest, quod cognitiones veri & boni non sint fidei, antequam homo in charitate est, sed quod sint promptuarium, ex quo fides charitatis formari possit. Cognitiones veri fiunt vera apud Regeneratum; etiam cognitiones boni, nam cognitio boni est in intellectu, at affectio boni in voluntate; ac verum vocatur id quod in intellectu est & bonum id quod in voluntate.

Fides Christiana in universali idea.

34. **F**ides Christiana in universali idea, hæc est, Quod Dominus ab æterno, Qui est Jehovah, in mundum venit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum suum; & quod absque eo nemo mortalium salvari potuerit; & quod salvatur qui credunt in Ipsum”

35. Dicitur in universali idea, quia hoc est universale fidei, ac universale fidei est quod in omnibus & singulis erit. Universale fidei est, quod Deus sit unus persona & essentia in quo Trinitas, & quod Dominus sit ille Deus. Universale fidei est, quod nullus mortalium salvari potuerit nisi Dominus in mundum venerit. Universale fidei est, quod in mundum venerit, ut removeret Infernum ab homine, & removit illud per pugnas contra illud, & per victorias super illud; ita subjugavit illud; & redegit illud in ordinem & sub suam obedientiam. Universale fidei etiam est, quod in mundum venerit, ut Humanum, quod in mundo suscepit, glorificaret, hoc est, uniret Divino a Quo; sic Infernum ab Ipso subjugatum in ordine & sub obedientia sua in æternum tenet. Quoniam utrumque hoc non fieri potuit nisi quam per Tentationes usque ad ultimum illarum, ac ultimum illarum fuit Passio crucis, ideo illam subivit. Hæc sunt Universalia Fidei Christianæ de Domino. in

36. Universale Fidei Christianæ a parte hominis est; ut credat in Dominum, nam per credere in Ipsum fit conjunctio cum Ipso, per quam salvatio: credere in Ipsum est fiduciam habere quod Ipse salvet: & quia fiduciam habere non potest nisi qui bene vivit, ideo etiam hoc per credere in Ipsum intelligitur.

37. De binis his Fidei Christianæ Universalibus actum est in specie; de PRIMO, quod Dominum spectat, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO: & de ALTERO, quod hominem spectat, in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA; quare illa hic amplius diducere non opus est.

Fides hodierna in universali idea.

38. **F**ides hodierna in universali idea, est hæc, „ Quod Deus „ Pater miserit Filium suum, ut satisfaceret pro Humano „ Genere, & quod propter id Filii meritum misereatur, & sal- „ vet illos, qui id credunt. Alii, qui id credunt, & simul bona „ faciunt”.

39. Sed ut videatur clarius, qualis illa Fides est, velim adducere in ordine varia, quæ ponit. Hodierna Fides I ponit Deum Patrem & Deum Filium, ut Duos, utrumque ab æterno. II Ponit Deum Filium in mundum venisse ex voluntate Patris, ut satisfaceret pro Humano Genere, quod alioquin ex Divina Justitia, quam etiam vindicativam vocant, morte æterna periisset. III. Ponit satisfactionem a Filio per impletionem Legis, & per passionem crucis. IV. Ponit Misericordiam Patris propter illa Filii. V. Ponit imputationem meriti Filii erga illos, qui id credunt. VI. Ponit hoc momentaneum, & ideo, si non prius, etiam circa ultimam mortis horam. VII. Ponit aliquid tentationis, & tunc liberationem per fidem istam. VIII. Ponit apud hos imprimis fiduciam & confidentiam. IX Ponit apud hos imprimis Justificationem, & plenariam gratiam Patris propter Filium, & remissionem omnium peccatorum, & sic salvationem. X. Doctiores ponunt apud hos conatum ad bonum, qui occulte operatur, & non manifeste movet voluntatem. Alii ponunt operationem manifestam: uterque per Spiritum Sanctum. XI. Plerique, qui se confirmant in eo, quod nemo possit facere bonum a se, quod bonum est, & nisi sit meritorium, & quod non sint sub jugo legis, illi omittunt, &

non cogitant de malo & de bono vitæ; dicunt enim in se, quod non bonum opus salvet, nec malum damnet, quia sola fides facit omnia. XII. In genere ponunt intellectum sub obedientia huius fidei, vocantes id fidei quod non intelligitur.

40. Sed hæc singillatim lustrare & expendere, num veritates sint, supersedetur: patent manifeste ex illis, quæ hic supra dicta sunt, imprimis ex illis, quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, & in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA, ex Verbo demonstrata sunt, & simul rationaliter confirmata.

41. At usque ut videatur, qualis fides separata a charitate est, & qualis fides non separata ab illa est, velim communicare quæ ab Angelo cæli audiui; dixit ille quod loquutus sit cum multis Reformatis, & audiverit qualis fides illorum est; & retulit quid cum uno qui in fide separata a charitate fuit, & quid cum altero qui in fide non separata, loquutus est, & ab illis audivit; dixit quod interrogaverit illos, & quod illi responderint: quæ quia illustrare possunt, velim colloquutiones illorum hic afferre.

42. Angelus dixit, quod cum illo qui in fide separata a charitate ita loquutus sit; amice, quis es, respondit ille, sum Reformatus Christianus. Quæ tua doctrina, & inde religio, respondit quod sit fides. Dixit quæ tua fides, respondit, fides mea est, *Quod Deus Pater miserit Filium, ut satisfaceret pro Humano Genere, & quod salventur qui id credunt*,: interrogavit tunc dicendo, quid scis plus de Salvatione, respondit, quod salvatio sit per solam illam fidem. Porro dixit, quid scis de Redemptione, respondit quod facta sit per passionem crucis, & quod meritum Filii imputetur per illam fidem. Porro, quid scis de Regeneratione, respondit quod fiat per illam fidem: Quid scis de Pænitentia & Remissione peccatorum, respondit quod per illam fidem. Dic quid scis de amore & charitate, respondit quod sint illa fides. Dic quid scis de bonis operibus, respondit quod sint illa fides. Dic quid cogitas de omnibus præceptis in Verbo, respondit quod sint in illa fide. Tunc dixit, ergo nihil facies, respondit quid faciam, non possum facere bonum, quod bonum est, a me: dixit, num fidem potes habere a te, respondit non possum; dixit quomodo tunc potes fidem habere, respondit in hoc non inquiri, habebo fidem. Tandem dixit, omnino scis aliquid præterea de salute, respondit, quid præterea, cum per solam illam fidem salvatio.

vatio. Sed tunc dixit Angelus, respondes sicut qui canit uno tono tibiæ, non audio nisi fidem; si illam scis, & non præterea, nihil scis; abi & vide focios, & abivit & offendit illos in deserto, ubi non gramen, quæsvit cur ita, dixerunt, quia illis nihil Ecclesiæ.

43. Angelus cum illo, qui in fide non separata a charitate ita loquutus est: amice, quis es, respondit sum Christianus Reformatus: quæ tua doctrina, & inde religio, respondit fides & charitas: dixit hæc sunt duo, respondit non separari possunt: dixit quid fides, respondit credere quod Verbum docet; dixit quid charitas, respondit facere quod Verbum docet: dixit num solum credideris illa, vel num etiam feceris, respondit etiam feci: Angelus cæli tunc aspexit illum, & dixit, mi amice, veni mecum, & habita nobiscum.

Qualis fides separata a charitate est.

44. **U**t fides separata a Charitate videatur qualis est, sistam illam in sua nuditate: in hac talis est; „ Quod Deus Pater iratus contra Genus humanum, rejecerit illud a se, & ex justitia statuerit vindicare per ejus damnationem æternam: & quod dixerit ad Filium, descende, imple Legem, ac damnationem illis destinatam in Te suscipe; & tunc forte miserebor: quare descendit, & implevit Legem, & passus se suspendi cruce, & immaniter occidi: quo factò rediit ad Patrem, & dixit, damnationem Generis humani in Me suscepi, nunc misericors esto, intercedens pro illis: at responsum tulit, non possum erga illos, sed quia Te vidi super cruce, & tunc sanguinem tuum, factus sum misericors, at usque non condonabo illis, sed imputabo illis tuum meritum, verum non aliis, quam qui hoc agnoscunt. Hoc erit fides, per quam salvari possunt.

45. Hæc est fides illa in sua nuditate: quisnam, cui aliqua ratio illustrata est, in illa non videt paradoxa, quæ contra ipsam Divinam essentiam sunt; ut, quod Deus, qui est ipse Amor, & ipsa Misericordia, potuerit ex ira & inde vindicta damnare homines, & devovere illos inferno: tum, quod velit ad misericordiam moveri per damnationem Filio impositam, & per intuitionem Ejus passionis super cruce & Ejus sanguinis. Quis, cui aliqua ratio illustrata est non videt quod Deus ad Deum æqualem non dicere potuerit, non condono illis, sed imputo illis tuum meritum: ut &, nunc vivant sicut velint, modo illud credant, & salvabuntur. Præter plura.

46. Sed causa, quod hæc non visa sint, est quia induxerunt fidem cæcam, & per illam occluserunt oculos, & obturaverunt aures. Occlude oculos & obtura aures, hoc est, fac ut non cogitent ex aliquo intellectu, & dic illis,

quibus aliqua idea de vita æterna impressa est, quicquid velis, & credent: imo si dixeris, quod Deus possit irasci & vindictam spirare; quod Deus possit alicui damnationem æternam inferre: quod Deus velit ad misericordiam moveri per sanguinem Filii; ac id pro merito imputare & adscribere homini ut ejus; ac salvare per solum cogitare. Ut &, quod unus Deus cum altero Deo unius essentiæ potuerit talia stipulari, & illi injungere; præter similia alia. Sed aperi oculos & reclude aures, hoc est, cogita de illis ex intellectu, ac videbis discordantiam illorum cum ipsa veritate.

47. Occlude oculos & obtura aures, & fac ut non cogitent ex aliquo intellectu, annon poteris inducere fidem, quod Deus dederit omnem suam potestatem homini, ut sit pro Deo in terris: annon poteris inducere fidem, quod homines mortui invocandi sint; quod nudandum sit caput & flectenda sint genua pro simulachris eorum; quodque cadavera eorum, ossa eorum, & sepulchra illorum, sancta sint & veneranda. Sed si aperis oculos & recludis aures, hoc est, de illis ex aliquo intellectu cogitas, annon videbis enormia, quæ ratio humana abominabitur.

48. Cum talia & similia alia recipiuntur ab homine, cui ex religione occlusus est intellectus, annon tunc Templum, in quo cultum agit, comparari potest speluncæ seu cavernæ sub terris, ubi quæ videt, nescit quid sunt: ac Religio ejus comparari potest habitationi in domo, in qua non sunt fenestræ; & vox cultus ejus sono, & non loquelæ. Cum tali homine non potest Angelus cæli loqui, quia unus non intelligit loquelam alterius.

Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, in Verbo repræsentati sint per Philisthæos.

49. **I**n Verbo per omnia Nomina Gentium & Populorum, tum Personarum & Locorum, significantur res Ecclesiæ, ipsa Ecclesia per Israelem & Jehudam, quia apud illos fuit instituta; & varia Religiosa per Gentes & Populos circum illos, Religiosa concordantia per Gentes bonas, & Religiosa discordantia per Gentes malas. Sunt duo Religiosa mala, in quæ omnis Ecclesia successu temporis degeneratur, Unum quod adulterat bona ejus, & Alterum quod falsificat vera ejus: illud Religiosum, quod adulterat bona Ecclesiæ, trahit suum ortum ex amore imperandi, & alterum Religiosum quod falsificat vera Ecclesiæ, trahit suum ortum ex fastu propriæ intelligentiæ. Religiosum quod trahit ortum ex amore imperandi, in Verbo intelligitur per Babyloniam; & Religiosum, quod trahit ortum ex fastu propriæ intelligentiæ, in Verbo intelligitur per Philisthæam. Notum est, quinam ex Babylonia hodie sunt, sed non notum, quinam ex Philisthæa. Ex Philisthæa sunt, qui in fide & non in charitate.

50. Quod illi ex Philisthæa sint, qui in fide & non in charitate, constare potest ex variis, quæ de illis in Verbo dicuntur, in spirituali sensu intellectis; tam ex altercationibus illorum cum Abrahami & Isaci servis, de quibus Genes.

XXI & XXVI, quam ex bellis illorum cum Filiis Israelis, de quibus in Libro Judicum, ac in Libris Samuelis & Regum; omnia enim Bella in Verbo descripta in sensu spirituali involvunt & significant bella spiritualia: & quia hoc Religiosum, quod est fidei separatæ a charitate, continue vult invadere Ecclesiam, ideo Philisthæi manserunt in terra Canaane, & filios Israelis crebro infestant.

57. Quoniam Philisthæi repræsentabant illos qui in fide separata a charitate sunt, ideo vocati sunt PRÆPUTIATI, & per Præputiatos intelliguntur qui absque amore spirituali sunt, & inde in solo amore naturali: Amor spiritualis est Charitas. Causa quod hi præputiati dicti sint, est quia per CIRCUMCISOS intelliguntur qui in amore spirituali sunt. Quod Philisthæi præputiati dicti sint, videatur I. Sam. XVII. 27. 36. II. Sam. II. 20, & alibi.

52. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, per Philisthæos repræsentati sint, constare potest non modo ex bellis eorum cum filiis Israelis, sed etiam ex pluribus aliis, quæ de illis in Verbo memorantur; ut ex illis quæ de Dagon Idolo eorum, de Hæmorrhoidibus & Muribus, quibus propter Arcam in fano idoli eorum positam percussi & infestati sunt, & ex reliquis quæ tunc evenerunt, de quibus, I. Sam. Cap. V & VI; similiter quæ de Goliatho, qui Philisthæus erat, a Davide interfecto, de quo I Sam. Cap. XVII. Dagon enim Idolum eorum, erat superius sicut homo, inferius sicut piscis, per quod repræsentabatur Religio eorum, quod ex fide esset sicut spiritualis, ex nulla charitate autem esset mere naturalis: per Hæmorrhoides, quibus percussi erant, significabantur spurci eorum amores; per mures, quibus infestati erant, significabatur devastatio Ecclesiæ per falsificationes veri; & per Goliathum a Davide percussum repræsentabatur fastus propriæ intelligentiæ illorum.

53. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, repræsentati sint per Philisthæos, patet etiam ex Prophetis Verbi, ubi de illis agitur, ut ex sequentibus his: apud JEREMIAM, *Contra Philisthæos: ecce aquæ ascendentes ex septentrione, quæ fient in flumen inundans, & inundabunt terram & plenitudinem ejus, urbem & habitantes in ea, ut clament homines, & ejulet omnis habitator terræ: vastabit Jehovah Philisthæos*, XLVII. 1. 2. 4; aquæ ascendentes e septentrione, sunt falsa ex inferno; quæ fient in flumen inundans, & inundabunt terram & plenitudinem ejus, significat per illa devastationem omnium Ecclesiæ; urbem & habitantes in ea, significat devastationem omnium doctrinæ ejus; ut clament homines, & ejulet omnis habitator terræ, significat defectum omnis veri & boni in Ecclesia; vastabit Jehovah Philisthæos, significat interitum eorum. Apud ESAJAM, *Ne læteris Philisthæa tota, quod fracta sit virga percutiens te; nam e radice serpentis exibat basiliscus, cujus fructus prester volans*, XIV. 27 seq. ne læteris Philisthæa tota, significat ne gaudeant qui in fide separata a charitate sunt, quod adhuc maneant: nam e radice serpentis exibat basiliscus, significat ex fastu propriæ intelligentiæ destructionem omnis veri apud illos: cujus fructus prester volans, significat ratiocinia ex falsis mali contra vera & bona Ecclesiæ.

54. Quod per Circumcisionem repræsentata sit purificatio a malis quæ sunt amo-

amoris mere naturalis, patet ex his „ *Circumcidite cor vestrum, & removete præputia cordis vestri, ne exeat ira mea propter malitiam operum vestrorum* „ Jerem. IV. 4. „ *Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram non indurate amplius* „ Deutr. X. 16; circumcidere cor aut præputium cordis est purificare se a malis. Inde vicissim, per incircumcisum seu præputiatum intelligitur qui a malis amoris mere naturalis non purificatus, ita qui non in charitate est: & quia immundus corde per præputiatum intelligitur, dicitur „ *Nullus præputiatus corde, & præputiatus carne, intrabit in sanctuarium* „ Ezech. XLIV. 9. *Nullus præputiatus comedet Pascha* „ Exod. XII. 48. Et quod *damnatus sit*, Ezech. XXVIII. 10. Cap. XXXI. 18. Cap. XXXII. 19.

Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur per Draconem in Apocalypsi.

55. **D**ictum est supra, quod omnis Ecclesia successu temporis abeat in duobus communia Religiosa mala, in unum ex amore imperandi, & in alterum ex fastu propriæ intelligentiæ; & quod prius Religiosum in Verbo intelligatur & describatur per BABYLONIAM, & posterius per PHILISTHÆAM. Nunc quia in Apocalypsi agitur de statu Ecclesiæ Christianæ, imprimis qualis in fine est, ideo de binis illis Religiosis malis, in genere & in specie ibi agitur: Religiosum quod per Babyloniam intelligitur, describitur in Cap. XVII. XVIII. XIX, quod ibi est Meritrix sedens super Bestia coccinea; ac Religiosum quod per Philisthæam intelligitur, describitur in Capp. XII. XIII, quod ibi est Dracō, tum Bestia ex mari, ac Bestia ex terra ascendens. Quod hoc Religiosum per Draconem & ejus binas Bestias intellectum sit, hæcenus non sciri potuit; causa est, quia sensus spiritualis Verbi non prius apertus fuit, & inde Apocalypsis non intellecta est; & imprimis quia Religiosum de fide separata a charitate in Christiano Orbe tantum invaluit, ut nemo id videre posset: omne enim Religiosum malum occæcat oculos.

56. Quod Religiosum fidei separatae a charitate intelligatur & describatur in Apocalypsi per Draconem & per binas ejus Bestias, non modo e Cælo mihi dictum est, sed etiam in Mundo spirituum, qui sub Cælo est, ostensum est; visi mihi sunt illi, qui in fide separata erant, in Cætu sicut magnus Dracō cum extensa cauda versus cælum; & visi sunt alii, qui tales, separati, in apparentia sicut dracones; sunt enim in illo Mundo hujuscemodi apparentiæ ex correspondentiâ spiritualium cum naturalibus: quare etiam illi ab Angelis cæli vocantur Draconici. Sed plura illorum genera sunt, quidam eorum constituunt Draconis Caput, quidam illius Corpus, & quidam ejus Caudam; illi qui constituunt ejus Caudam, sunt qui omnia vera Verbi falsificaverunt; quare dicitur de Dracone in Apocalypsi, quod cauda sua detraxerit tertiam partem stellarum Cæli; per stellas cæli significantur cognitiones veri, & per tertiam partem, omnes.

57. Nunc quia per Draconem in Apocalypsi intelliguntur qui in fide separata

ta a Charitate sunt, & hoc hæc hactenus ignoratum fuit, & quoque occultum ex non cognitione sensus spiritualis Verbi, ideo dabitur hic Explicatio generalis super illa quæ in Cap. XII. ibi de Dracone dicuntur.

58. De Dracone hæc dicuntur in Capite XII in Apocalypsi: Et Signum magnum visum est in Cælo. Mulier circumdata Sole, & Luna sub pedibus ejus, & super capite ejus corona stellarum duodecim: & in utero habens clamavit parturiens, & cruciata parere. Et visum est aliud signum in Cælo, & ecce Draco magnus rufus, habens Capita septem, & Cornua septem, & super capitibus suis Diademata septem. Et Cauda sua traxit tertiam partem stellarum Cæli, & projecit illas in terram. Et Draco stetit coram Muliere paritura, ut postquam pepererat, fætum ejus devoraret: & peperit filium masculum, qui pasturus est omnes gentes virga ferrea: & raptus est fætus ejus ad Deum & Thronum Ipsius. Et Mulier fugit in desertum, ubi habet locum præparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est bellum in Cælo, Michael & angeli ejus pugnarunt cum Dracone, & Draco pugnavit & angeli ejus: & non prævaluerunt; & non locus inventus illorum amplius in Cælo. Et cum vidit Draco quod projectus in terram, persequutus est Mulierem quæ peperit filium. Et datæ mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi aleretur ibi tempus & tempora & dimidium tempus, a facie serpentis: & ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen, ut illam a flumine absorptam faceret: & adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & deglutivit flumen, quod ejecit draco ex ore suo. Et iratus est draco contra mulierem, & abivit facere bellum cum reliquis feminis ejus, observantibus mandata Dei, & habentibus testimonium Jesu Christi:

„ 59. Hæc illorum Explicatio est „ Signum magnum visum est in Cælo,
 „ significat revelationem a Domino de futura Ecclesia, & de receptione doc-
 „ trinæ ejus, & a quibus impugnabitur: mulier circumdata sole, & luna sub
 „ pedibus ejus, significat Ecclesiam, quæ a Domino in amore, & in fide
 „ est: & super capite ejus corona stellarum duodecim, significat sapientiam
 „ ac intelligentiam ex Divinis veris apud illos: & in utero habens, significat
 „ nascentem Doctrinam: clamavit parturiens, & cruciata parere, significat
 „ resistantiam ab illis qui in fide separata a charitate sunt: & visum est aliud
 „ signum in Cælo, significat iterum revelationem: & ecce draco magnus ru-
 „ fus, significat fidem separatam a charitate, qui rufus dicitur ab amore me-
 „ re naturali: habens capita septem, significat falsum intellectum Verbi: &

„ cornua decem, significat potentiam ex receptione a multis: & super capiti-
 „ bus suis diademata septem, significat falsificata vera Verbi: & cauda sua
 „ traxit tertiam partem stellarum cæli, & projecit illas in terram, significat
 „ destructionem omnium cognitionum veri: & draco stetit coram muliere pa-
 „ ritura, ut postquam pepererat, fætum ejus devoraret, significat odium il-
 „ lorum & animum destruendi doctrinam Ecclesiæ in suo ortu: & peperit fi-
 „ lium masculum, significat doctrinam: qui pasturus omnes gentes virga fer-
 „ rea, significat quæ ex potentia veri naturalis ex spiritali convincet: & rap-
 „ tus est filius ejus ad Deum & thronum Ipsius, significat tutationem ejus a
 „ Domino e cælo: & fugit in desertum, significat Ecclesiam inter paucos:
 „ ubi habet locum præparatum a Deo, significat statum ejus ut in eræa provi-
 „ deatur inter plures: ut ibi alant illam diebus mille ducentis sexaginta, signi-
 „ ficat usque dum crescit ad suum statutum: & factum est bellum in cælo,
 „ Michael & angeli ejus, pugnarunt cum dracone, & draco pugnavit &
 „ angeli ejus significat dissensionem & pugnam illorum qui in fide separata
 „ a charitate sunt contra illos qui in doctrina Ecclesiæ de Domino & de
 „ vita charitatis sunt: & non prævaluerunt, significat quod succubuerint:
 „ & non locus inventus eorum amplius in cælo, significat dejectionem illorum:
 „ cum vidit draco quod projectus sit in terram, persecutus est mulierem quæ
 „ peperit masculum, significat infestationem Ecclesiæ ab illis qui in fide sepa-
 „ rata a charitate, propter doctrinam ejus: & datæ mulieri duæ alæ aquilæ
 „ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, significat circumspeditionem
 „ dum adhuc inter paucos est: ubi aleretur tempus & tempora & dimidium
 „ temporis a facie serpentis, significat usque dum Ecclesia crescit ad suum
 „ statutum: & ejecit serpens post mulierem ex ore suo aquam tanquam flu-
 „ men, ut illam a flumine absorptam faceret, significat ratiocinationes illo-
 „ rum ex falsis in copia ad destruendum Ecclesiam: & adjuvit terra mulie-
 „ rem, & aperuit terra os suum, & deglutivit flumen quod ejecit draco ex
 „ ore suo, significat quod ratiocinationes, quia ex falsis, a seipsis deciderint:
 „ & iratus est draco contra mulierem, & abivit facere bellum cum reliquis
 „ feminis ejus, significat perstans odium illorum: observantibus mandata Dei,
 „ & habentibus testimonium Jesu Christi, significat contra illos qui vivunt vi-
 „ tam charitatis, & credunt in Dominum.

60. In Capite XIII sequente in Apocalypsi, agitur de binis Bestiis draconis,
 de una quæ visa est ex mari ascendisse, & de altera quæ visa est ex terra af-
 cenlisse, de priore agitur a Vers. 1 ad 10, & de posteriore a Vers. 11 ad
 18; quæ quod sint Bestiæ draconis, patet a versibus 2. 4. 11, ibi: per pri-
 mam bestiam significatur fides separata a charitate quoad confirmationes ejus
 ex naturali homine; & per alteram significatur fides separata a charitate quoad
 confirmationes ejus ex Verbo, quæ etiam sunt falsificationes veri: sed præte-
 reo illa explicare, quia continent argumentationes eorum, quæ prolixius didu-
 cendæ forent; solum ultimum hoc, „ *Habens intelligentiam computet numerum*
Bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenta sexaginta sex „, Vers.

18: habens intelligentiam computet numerum bestiæ, significat qui in illustra-
 tione

tione sunt, inquirant quale confirmationum istius fidei ex Verbo; numerus enim hominis est, significat quod sit quale propriæ intelligentiæ; & numerus ejus sexcenta sexaginta & sex, significat omne verum Verbi falsificatum.

Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligentur per Hircos apud Danielelem & Matthæum.

61. **Q**uod per Hircum apud Danielelem Cap. VIII; & per Hircos apud Matthæum Cap. XXV, intelligentur illi qui in fide separata a charitate sunt, constare potest ex eo, quod opponantur Arieti & Ovibus ibi, & per Arietem & per Oves intelligentur qui in charitate sunt: Dominus enim in Verbo vocatur Pastor, Ecclesia ovile, & homines Ecclesiæ in genere vocantur grex, & in specie oves; & quia oves sunt illi qui in charitate sunt, ideo hirci sunt illi qui non in charitate.

62. Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, per Hircos intelligentur, demonstrabitur I Ab Experientia in Mundo spirituali. II Ab Ultimo Judicio super quos peractum est. III Ex descriptione pugnæ inter Arietem & Hircum apud Danielelem. IV. Et demum ex omissione charitatis illorum, de quibus apud Matthæum

63. I. *Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligentur in Verbo per Hircos, ab Experientia in Mundo spirituali.* In Mundo spirituali apparent omnia quæ in Mundo naturali, apparent domus & palatia, apparent paradisi & horti, & in illis arbores omnis generis; apparent agri & novalia, tum campi & vireta; & quoque armenta & greges; omnia in tali similitudine, in qua super nostra tellure; nec alia intercedit differentia, quam quod hæc sint ex origine naturali, & illa ex origine spirituali: quare Angeli, quia spirituales sunt, vident illa quæ ex origine spirituali sunt, similiter ut homines illa quæ ex origine naturali sunt. Omnia, quæ apparent in Mundo spirituali, sunt correspondentiæ, correspondent enim affectionibus Angelorum & Spirituum: hæc causa est, quod illi qui in affectione boni & veri sunt, & inde in sapientia & intelligentia, habitent in palatiis magnificis, circum quæ sunt paradisi pleni arboribus, quæ correspondent, & circum illos agri & campi, in quibus cubant greges, qui sunt apparentiæ: Correspondentiæ autem oppositæ sunt apud illos qui in affectionibus malis sunt; hi vel sunt in Infernis inclusi ergastulis, quæ sunt absque fenestris, in quibus tamen est lumen sicut ex igne fatuo, vel sunt in desertis & habitant in mapalibus, circum quæ omnia sterilia sunt, & ibi serpentes, dracones, ululæ, & plura, quæ malis illorum correspondent. Inter Cælum & Infernum est locus medius, qui vocatur Mundus spirituum; in hunc venit omnis homo statim post mortem; & ibi simile commercium est unius cum altero, sicut hominum inter se super tellure; ibi etiam omnia, quæ apparent, correspondentiæ sunt; apparent etiam ibi horti, luci, sylvæ cum arboribus & vir-

gultis, ut & campi floridi & virides, & simul varii generis bestia, mites & immites, omnia secundum correspondentiam affectionum illorum. Ibi sæpius vidi Oves & Hircos, & quoque pugnas inter illos, similes illi pugnae, quæ describitur apud Danielelem Cap. VIII; vidi Hircos cum cornibus antrorsum & retrorsum flexis, ac illos cum furore irruentes in Oves; vidi Hircos cum duobus cornibus, quibus cum vehementia ferierunt Oves; & cum aspexi quid esset, vidi aliquos rixantes inter se de charitate & fide; ex quo patuit, quod fides separata a charitate esset quæ appareret sicut Hircus, & quod charitas ex qua fides esset quæ appareret sicut Ovis. Quia hæc sæpius vidi, datum est pro certo scire, quod illi qui in fide separata a charitate sunt, in Verbo per Hircos intelligantur.

64. II. *Quod illi qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur in Verbo per Hircos, ex Ultimo Judicio super quos peractum est.* Ultimum Judicium non super alios factum est, quam qui in externis fuerunt morales, ac in internis non spirituales, aut parum spirituales; illi autem qui tam in externis quam in internis fuerunt mali, longe ante ultimum judicium in infernum coniecti sunt, & illi qui in externis & simul in internis spirituales fuerunt, longe ante ultimum judicium in cælum elevati sunt; nam Judicium non factum est super illos qui in Cælo erant, nec super illos qui in Inferno, sed super illos qui in medio inter Cælum & Infernum fuerunt, & ibi sibi fecerunt sicut Cælos. Quod Ultimum Judicium super illos & non super alios factum sit, videri potest in Opusculo de ULTIMO JUDICIO, n. 59 & 70; & videbitur ulterius in CONTINUATIONE DE ULTIMO JUDICIO, & ibi super Reformatos; ex quibus tunc illi qui in fide separata a charitate non modo doctrina sed etiam vita fuerunt, in Infernum coniecti sunt, ac illi qui in eadem fide solum quoad doctrinam, sed usque in charitate quoad vitam fuerunt, in Cælum elevati sunt: ex quibus patuit, quod non alii per hircos & per oves a Domino apud Matthæum Cap. XXV, ubi loquitur de Ultimo Judicio, intellecti sint.

65. III. *Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur in Verbo per hircos, ex descriptione pugnae inter arietem & hircum apud Danielelem.* Omnia quæ in Daniele sunt, in spiritali sensu agunt de rebus Cæli & Ecclesiæ, sicut omnia in Univerfa Scriptura Sacra; ut in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ de Illa n. 5 ad 26, ostensum est: ita quoque illa in Daniele, quæ de pugna Arietis & Hirci ibi Cap. VIII, dicuntur; quæ talia sunt: „ In visione vidi Arietem, cui duo cornua alta, sed altius ascendens posterius: & quod cornu feriret versus occidentem, septentrionem & meridiem; & magnum se faceret. Dein vidi Hircum venientem ab occidentè super facies totius terræ, cui esset cornu inter oculos; & quod cucurrerit ad Arietem cum furore roboris sui, & fregerit duo cornua ejus, & projecit eum in terram, & conculcaverit eum; at quod fractum sit cornu magnum Hirci, & loco ejus ascenderint quatuor cornua: & quod ex uno eorum exiret cornu exiguum, quod crevit valde versus meridiem; versus ortum, & versus decus, & usque ad exercitum Cælorum, & dejecit in terram de exercitu, & de stellis, & conculcavit ea: imo extulit se ad principem exercitus, & ab Eo sublatum est iuge, & projectum habitaculum sanctuarii Ejus; quia projecit Veritatem in terram. Et audivi unum Sanctum dicen-

dicentem, quo usque Visio hæc, jube & prævaricatio vastans, ut detur sanctum & exercitus conculcatio; & dixit, usque ad vesperam mane, tunc justificabitur Sanctum „
Cap VIII. 2 ad 14.

66. Quod visio illa prædicat status Ecclesiæ futuros, patet manifeste, nam dicitur quod a Principe exercitus sublatum sit jube, projectum Habitaculum sanctuarii Ejus, & quod Hircus projecit Veritatem in terram: tum quod Sanctus dixerit, quousque visio hæc, jube & prævaricatio vastans, ut detur Sanctum & exercitus conculcatio, & quod hoc esset ad vesperam mane, quando justificabitur Sanctum; per vesperam enim intelligitur finis Ecclesiæ quando nova erit. Simile postea in eo Capite per Reges Mediæ & Persiæ intelligitur, quod per Arietem, & simile per Regem Græciæ quod per Hircum; nam Nomina Regnorum, Gentium & Populorum, tum Personarum & Locorum, in Verbo significant res Cæli & Ecclesiæ.

67. Explicatio illorum hæc est, „ Aries cui duo cornua alta, quorum altius ascendit posterius, significat illos qui in fide ex charitate sunt: quod „ cornu feriret versus occidentem, septentrionem & meridiem, significat „ dissipationem mali & falsi: quod magnum se faceret, significat incremen- „ tum: hircus veniens ab occidente super facies totius terræ, significat illos „ qui in fide separata a charitate sunt, ac invasionem Ecclesiæ ab illis, occi- „ dens est malum naturalis hominis: cui cornu inter oculos, significat propriam „ intelligentiam: quod cucurrerit ad arietem cum furore roboris, significat „ quod vehementer impugnaverit charitatem & ejus fidem: quod fregerit duo „ cornua ejus, projecit eum in terram, & conculcaverit eum, significat „ quod prorsus disperferit & charitatem & fidem, nam qui unam etiam alteram „ dispergit, unum enim faciunt: quod fractum sit cornu magnum hirci, signi- „ ficat non apparentiam propriæ intelligentiæ: quod loco ejus ascenderint qua- „ tuor cornua, significat applicationes sensus literæ Verbi ad confirmandum: „ quod ex uno eorum exiret cornu exiguum, significat argumentationem, „ quod nemo possit implere legem, & facere bonum a se ipso: quod id cornu „ creverit versus meridiem, versus ortum & versus decus, significat per id „ insurrectionem in omnia Ecclesiæ: & usque ad exercitum cælorum, & de- „ jecit de exercitu, & de stellis, & conculcavit illa, significat sic destructio- „ nem omnium cognitionum boni & veri, quæ charitatis & fidei essent: quod „ extulerit se ad Principem exercitus, & ab eo sublatum est jube, & habita- „ culum sanctuarii ejus, significat quod sic depopulatus sit omnia cultus Do- „ mini & Ecclesiæ Ipsius: quod veritatem projecit in terram, significat quod „ vera Verbi falsificaverit: per vesperam mane, quando justificabitur sanctum, „ significatur finis Ecclesiæ istius, & principium Novæ”.

68. IV. *Quod illi, qui in fide separata a charitate sunt, intelligantur per hircos, ex omissione charitatis eorum apud Matthæum.* Quod non alii per Hircos ac per Oves intelligantur apud Matthæum Cap. XXV. 31 ad 46. quam qui per Hircum & per Arietem apud Danielelem, patet ex eo, quod ad Oves enumerentur opera charitatis, & dicatur, quod illa fecerint; & quod ad Hircos enu-

merentur eadem opera charitatis, & dicatur quod illa non fecerint, & quod hi ideo damnentur; est enim apud eos qui in fide separata a charitate sunt, omissio operum, ex negatione quod nihil salutis & Ecclesiæ in illis sit; & cum removetur ita charitas, quæ consistit in operibus, cadit etiam fides, quoniam fides est ex charitate; & cum non charitas & fides, est damnatio. Si omnes mali per Hircos ibi intellecti fuissent, non opera charitatis quæ non fecerunt, sed mala quæ fecerunt, enumerata fuissent. Similes per Hircos etiam intelliguntur apud SACHARIAM, *Super Pastores exarsit ira mea, & super Hircos visitabo*, X. 3. Et apud EZECHIELEM, *Ecce Ego judicans inter pecudem & pecudem, inter Arietes & inter Hircos: num parum vobis, pascuum bonum depascitis, etiam reliquum pascuorum conculcatis pedibus vestris: cornibus vestris feritis omnes Oves infirmas, donec disperferitis illas: ideo salvabo Gregem meum, ut non sit amplius ir prædam*, XXXIV. 17, 18, 22. seqq.

Quod Fides separata a Charitate Ecclesiam & omnia ejus destruat.

69. **F**ides separata a charitate nulla est fides, quoniam Charitas est vita fidei, est anima ejus, & est essentia ejus; & ubi nulla fides est quia nulla charitas, ibi nulla Ecclesia est: quare dicit Dominus. „ *Filius hominis, cum venerit, num inveniet fidem super terra*”. Luc. XVIII. 8.

70. Audivi Hircos & Oves aliquoties de eo colloquutos, num illis, qui se confirmaverunt in fide separata a charitate, ulla veritas sit, & quia dixerunt, quod multa sit, Lis illa in examen missa est; & tunc interrogati sunt, num sciant quid Amor, quid Charitas, & quid Bonum, & quia hæc erant quæ separaverunt, non potuerunt aliter respondere, quam quod non scirent. Interrogati sunt, quid Peccatum, quid Pænitentia, & quid Remissio peccatorum, & quia responderunt quod qui justificati sunt per fidem, illis remissa peccata sint, ut non amplius appareant; dictum est illis, hæc non veritas sunt. Interrogati quid Regeneratio, responderunt quod vel sit baptismus, vel quod sit remissio peccatorum per fidem; dictum illis quod id non veritas sit. Interrogati quid spiritualis homo, responderunt quod sit qui justificatus est per fidem confessionis nostræ; sed dictum illis, quod hæc non veritas sit. Interrogati de Redemptione, de Unione Patris & Domini, deque Unitate Dei, & responderunt quæ non veritates erant; præter plura. Post Interrogationes & Responfa Lis ad Judicium venit, quod erat, quod illi qui confirmaverunt se in fide separata a charitate non habeant ullam veritatem.

71. Quod ita sit, non credi potest ab illis in mundo, quoniam qui in falsis sunt, non vident aliter quam quod falsa sint vera, & quod plura scire, quam quæ fidei eorum sunt, tanti non sit; & fides illorum est separata ab intellectu, est enim fides cæca, & ideo non inquirunt; & hoc non aliter inquiri potest quam

quam ex Verbo media illustratione intellectus; quare vera, quæ ibi sunt, vertunt in falsa, cogitando fidem ubi vident amorem, pænitentiam, remissionem peccatorum, & plura quæ facti erunt.

72. Verum enim vero, tales sunt illi qui se in sola fide & doctrina & vita confirmaverunt; sed non illi, qui, tametsi audiverunt & crediderunt quod sola fides salvet, usque mala ut peccata fugerunt.

